

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXV. Quod opera chartatis hominem ab omni veniali peccato
mundant.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

liber abundat animam illuminant, ostendit et psalmista cum dicit: *Declaratio sermonum tuorum, Domine, dat intellectum parvulis* (PSAL. CXVIII. 130).

CAPUT XXV.

QUOD OPERA CHARITATIS HOMINEM AB OMNI VENIALI PECCATO MUNDANT.

CUM, ut jam præscriptum est ¹, Deum ad hanc personam ² dixisse eam non fuisse tam gratiferam ut dignum fuisset, duæ personæ ejusdem familiares, hoc pro ea supplere cupientes, tot laudis carmina Deo persolvi pro ea fecerunt ³, per Antiphonam: *Ex quo omnia*, etc. quot dies vixerat in terris. Has laudes dum ipsa offerret Deo in unione amoris, quo ex Corde ipsius omnia dona sua profluxerunt, et in unione gratitudinis, qua per Filium suum omnia in ipsum refluunt, vidit de Corde Dei rivum magnum et purissimum cum impetu defluere, et animas earum quæ hæc ex charitate pro ea legerant ab omni macula emundare. Et ait Dominus: « Sic omnia charitatis opera hominem ab omni veniali peccato purificant; sed mortale peccatum, quod animæ more picis fortiter adhæret, confessione et majori contritione aboleri oportet. Omnia etiam charitatis opera in Corde meo, velut thesaurum mihi specialiter dilectum, reservo, donec ille qui ea operatus est ad me veniat, et tunc ad cumulum meriti et gratiæ ejus ea sibi reddo. »

Charitatis
opera in
Christi
Corde
reservantur.

Nec in hoc familiari suæ suffecit, quæ ipsam in Christo

1. Cf. cap. 25. supra.
2. Nempe beatam Mechtildem.
3. Cf. *Legat.* Lib. V. c. 4. in fine.

valde diligebat ; sed hanc negligentiam ejus pro ea cupiens ad summum usque suppleri, quia altius non poterat, tot Missas quot annorum erat, scilicet, *Benedicta sit*, in laudem semper venerandæ Trinitatis a religiosis Fratribus et devotis sacerdotibus pro ea fecit celebrari. Has Missas dum ipsa etiam Deo offerret, gratias agens Deo, et admirans charitatem qua hoc in hominibus peregisset, dixit ad eam Dominus : « Da mihi omne quod tuum est. » At illa manum suam ac si plena esset in manum Dei effudit. Statimque apparuit illud quod effuderat quasi ornamentum optimum, simile monili facto ex margaritis candidis, rubeis et purpureis ; per quod figurabatur gratuita et humilis charitas quam in hominibus hæc peregisset. Dominus autem ornamentum illud ante Cor suum ponebat ; de cujus medio mira et ineffabilis suavitas de Corde Dei effluebat. Et ait Dominus : « Omnes qui hoc donum meæ specialis gratiæ diligunt, et meæ credentes bonitati. humili gratitudine pro his quos ad hanc familiaritatem elegi mihi gratias referunt, singulari affectu Cor meum ad eos patebit. » Ornamentum etiam illud habebat in circuitu quatuor lilia, quorum dum illa pulchritudinem miraretur, dixit ad eam Dominus : « Virgines erant qui hoc laudis munus pro te obtulerunt. »

Mechtildis
diligenti
donum
Cor Dei
patet.

CAPUT XXVI.

QUALITER HOMINES DEO GRATIAS AGANT PRO HAC PERSONA.

QUÆDAM devota persona Dominum attentius exorare solebat, ut qui de spiritu Moysis in alios transfudit (NUM. XI). et Eliæ spiritum et virtutem Eliseo dereliquit,